

12. 1. 2. 1. 6. ab auctoribus e. 5024
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE

AUTORE,
QVATENVS DESIGNAT PERSONAM,
A QVA ALIQUID ACCEPIMVS;

Boni Wehrmanne;

QVAM,

EX DECRETO ET AUTORITATE
ILLVSTRIS FACTORVM ORDINIS,
IN PERANTIQA ACADEMIA ERFFURTENSI,
PRÆSIDE:

JOANNE PHILIPPO

Sreiber, PHILOS. ET J. U. D.

SAGRI PALATII CÆSAREI COMITE, INSTITUTIONUM
IMPERIALIUM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
ATQVE CIVITATIS CONSULE ETC.

PRO LICENTIA:

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES AC
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

DIE IX. OCTOBRIS, M D C C XX.

HORIS LOCOQVE SOLITIS,

PUBLICÆ DISQVIGATIONI SUBMITTET:

FERDINAND. WAGENER,

Brunsvicensis.

Diss. jur. civ.

60, 24

ERFORDIÆ,

IS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

AUTOREN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

VERLAG VON F. A. BROTHMANN

In præfenti Dissertatione spectatur AUTOR, quoad

- I. Nomen, hujus videlicet
 - I. Derivationem, seu: *Etymologiam*;
 - II. Significationem; & quidem tum
 - I. Diversam, seu: *Homonymiam*;
 - II. Eandem, quam illud habet cum aliis nominibus; seu: *Synonymiam*; quatenus hæc est hujus loci.
- II. Rem; in
 - I. Definitione;
 - II. Divisione; cujus membra spectantur tum
 - I. Summatim, seu junctim;
 - II. Fusiùs, seu distinctè, & seorsim; & quidem tum Autor, à quo aliquid habemus
 - I. Traditum; qui est vel
 - I. Principalis, seu *primus*; de quo quæstio esse solet in causâ tum
 - I. Civili; ubi ad evictionem præstandam ille obligatus est vel ex
 - I. Speciali, seu expressâ ejusdem stipulatione;
 - II. Naturâ negotiorum; horumque tum
 - I. Onerosorum;
 - II. Lucrativorum.
 - II. Criminali.
 - II. Accessorius, seu: *secundus*, videlicet: Fidejussor.
 - II. Relatum, ut: injuriosas diffamationes.



Thes. I.

AUTOR, quem, pro Themate præsentis Inauguralis Dissertationis, elegimus, postulat considerationem sui, tum quoad *Nomen*, tum quoad *Rem*. Nominis lustratio exhibet ejusdem tum derivationem, seu *Etymologiam*, tum *significationem*; & hanc vel diversam, seu *Homonymiam*, vel eandem, quam illud habet cum aliis nominibus, seu *Synonymiam*. Quoad *Rem* verò spectatur Autor tum in *Definitione*, tum in *Divisione*.

§. I. *Etymologiam*, seu derivationem nominis: AU-
TOR, quod concernit, illa pronius & propius depro-
mitur à græco: *αὐτός*, *ipse*, quàm ab *auctu*, seu *augendo*;
& hinc etiam rectius scribimus: *autor*, scilicet sine *h*,
quàm: *author*, rectius: *autor*, quàm: *auctor*.

§. II. Quatenus enim vox: *autor*, deducitur à
græco: *αὐτός*: *ipse*, eatenus illius derivatio propius ac-
cedit ad significationem ejusdem propriam, secun-
dum

dum quam autor est is, qui *ipse*, seu originitus, aliquid causatus est, fecit, constituit, & introduxit.

§. III. Quatenus vero vocabulum: *autor*, deducitur ab *auctu*, seu *augendo*, eatenus deflectit à proprietate acceptionis: pro primo & *originario* rei factore, & introducente; siquidem ille, qui rem, à primo auctore jamjam formatam & fabricatam, saltem *auget*, propriè sic dictus, primus scilicet & genuinus, rei autor non est.

§. IV. Et quoniam græca litera: τ, in latinis derivativis, nunquam producit: *th*, sed hoc ipsum tantummodò græcæ literæ: θ, effectus est; ideo vocabulum: *Autor*, quatenus, id à græco: *αυτορ*, originem trahere, contendimus, & maximè probabile est, non per *th*. sed tantum per τ, scribi convenit.

§. V. Quandoquidem etiam vox: *autor*, prout propriè sumitur, ab *auctu*, vel *augendo*, derivari nequit; hinc eadem, in propria consideratione, perperam scribitur: *auctor*.

§. VI. Negari tamen interim non potest: tam apud Classicos, quam alios Autores, quin & in ipso nostro Corpore Juris, sæpissimè & promiscue scriptum reperiri: *Autor*, *author*, & *auctor*; prætereaque vocem: *Autor*, hinc inde, mox ab *auctionibus*, eò: quòd in his, ei, qui plurimum auget, res addicatur; mox ab *augendo*, & quidem vel eò: quòd illi, qui autores alicujus rei sunt, *augeant* & confirmant *alios*, exemplo sui; vel ideò: quòd autores nos re auxerint; mox à græcis: *αυθιτης*, & *αυτορ*, declinari: prout patet

ex iis, quæ Calvinus, in suo *Lexico Juridico*, ad voces: *autor* & *auctor*, congeffit.

§. VII. Hic nimirum, sub voce: *AUTOR*, sequentia communicat: *Autor est, ut sic dicam, factor*, ait Valla: *Nam factor in usu non est, nisi in quibusdam a græco translatis. Spieg. AUTOR est is, à quo quis jus in re comparavit, aut alias questivit; h. e. qui debet prestare, ut emptor cum tali jure possideat venditam rem, quali ipsam esse in venditione affirmavit. Budæus citat locum è Ciceronis ult. actione in Verrem. Spieg. AUTOR saepe pro Duce negotii. Exempla peto ex Rhenani Thesauro, in Tacitum. Sunt, qui autorem, cum eum, qui opus facit, significat, vel, qui primus inventor persuasorque est, per th. scribendum putent: ut a græco veniat, qui αὐθεντιῶν, αὐθεντικῶν, αὐθεντιῶν, dicunt. Sed Alciat, in parergis, scribit: se semper, in plurimis veterum monumentis, auctorem legisse, atque Valer. Probum, libello de prescriptis Notis, AUC. id est auctorem interpretari: atque ideo arbitror: ab augendo deduci. Auget enim confirmatque alios exemplo sui, qui auctor alicujus rei est. Spieg.*

§. VIII. Idem porro Calvin. *d. l.*, sub voce: *AUCTOR*, talia proponit: *AUCTOR is dicitur, à quo quis auctoritatem, id est jus domini, in rem quampiam, accepit. Cicero in Verrem 7: Tum illi intellexerunt: se id, quasi à malo auctore emissent, diutius obtinere non posse: id est, ab eo, qui vendendi auctoritatem nullam habebat. Item pro Cæcinnâ: P. Cæsennius, auctor fundi. Plaut. Curcul. Nec nobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli. Declinatum autem videtur verbum ab Auctionibus, in quibus ei, qui plurimum auget, res addicitur: & ex eâ auctione atque adjectione suâ, auctoritatem sibi, in rem emptam,*
com-

comparat : nam , ab augendo deductum , Grammatici veteres testantur : & nota illa ostendit , quæ est apud Valerium Probum , quâ veteres utebantur , AUC. quæ auctor significat : ut in antiquis monumentis sic scriptum esse , plerique testantur. Quum ergo auctor is propriè diceretur , cui , propter summam auctorem & licitationem , res addicta esset , & auctoritas jus ex ea auctione quesitum : translatum postea fuisse vocabulum putamus ad eos , qui rem quoquo modo abalienarent ; ut , quum quaereretur ex eo , qui rem acceperat , unde sibi jus in eam comparasset , suum illum quasi auctorem nominaret , qui sibi suam auctoritatem tradidisset ; unde sensim in eos quoque , quorum sententiam & consilium sequimur , quasi jus quoddam ita sentiendi certum & constitutum haberent , consuetudine sermonis translatum est : nam (verbi gratiâ) quum institutum esset , ut legum , quæ comitiis centuriatis ferrentur , ante initum suffragium , patres auctores fierent , id est , ut Senatus-consulto prius aliquid decerneretur , postea illud idem à populo juberetur , ea lex hanc vim habebat , ut , quasi in evictionibus , possessionumque controversiis , possessor suum auctorem , à quo jus suum adeptus est , laudet ; ita populus consilii sui auctorem & suasorem , Senatum laudare posset. Quod si quis vel ἀυθίτης , vel αὐτός , vocabula nobis objiciat , indeque , propter literarum similitudinem , auctoritatem dictam putet , is Dionis verba audiat , qui libro LV. sic scribit :
 Ἐβαλεῦντο μὲν , καὶ ἄγε γνώμη συνεγράφετο , ἢ μὲν τοὶ καὶ τέλος τι ὡς κεκυρω-
 μένη ἱλάσθαιεν , ἢ ἄλλῃ ἀυκτώριτας ἐγγύετο , ὅπως φανεροὶ τὸ βέλημα αὐτῶν ἦ-
 ποιῶται γὰρ τι ἡ δύναμις τῆ ἐνόματ & τέτυθῃ δηλοῖ , ἰλλητίσμη γὰρ αὐτοὶ καθάπαξ
 ἠδύνατόν ἐσι. id est : Consultabant autem Senatores (absente
 Casare scilicet) & eorum sententia scribebatur : non tamen
 quasi

quasi rata, effectum habebat; sed erat auctoritas, ut eorum sententia nota esset. Tale enim quiddam vis hujus verbi declarat: quod uno verbo graece exprimi non potest. Paulus l. si fundo, 53. de evictionibus. Si, cum posset emptor, auctori denuntiare, non denuntiasset, ideoque viduus fuisset. Modestinus leg. Herennius, 63. eodem: Seja fundum à Titio emerat, & questione mota à Fisci nomine, auctorem laudaverat. Hotomannus in Commentar. jur. quod attinet ad Orthographiam & originem vocis, Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est. Balduinus ad Tit. de Auctor. Tut. à Budæo se audivisse scribit: proficisci à graeco verbo: *αὐτός*, quo veteres ratam alicujus potestatem significabant, cui nemo possit refragari. Sic Liv. scribit, mortuo Romulo, plebi quidem summam fuisse à patribus concessam auctoritatem, penes patres tamen remansisse auctoritatem: ut sit verbum confirmationis, quâ niti dicimus quod actum gestumve est. Sic Constantinus Imperator l. 9. C. de diversis officiis, auctoritates appellat eas literas, quas ipsi magistratus dant iis, quos militiae suae assignant: quasi ipsi magistratus auctores sint soli, nec principem ratum probatumque habere necesse sit: auctoritas enim dicitur opinio & iudicium ejus, qui supremam habet in aliqua re potestatem: Sic Cælius, in Epistola ad Ciceronem, Auctoritates perscriptas Senatus vocat, quae Senatus auctoritate facta fuerant & probata: & Anastasius Imperator ultima constitutione C. de Fabricensibus, auctoritates amplissimas sedis vocat literas Praefecti Praetorio. Connanus, Lib. IV. cap. 3. n. 3.

§. IX. Modo allegata tamen Calvinii Collectanea etymologica 1.) persuadere nos non possunt: quod illae rationes denominationis, (ob quas vocem autoris

ris

ris ab auctiōibus & augendo descendere, allegatorum vigore, putatur) propriam vocabuli: autor, significatiōnem, attingant, seu respiciant. Etenim: a) in auctiōibus, ei, qui plurimum auget, res addici; b) augere, seu confirmare alios, exemplo sui; & c) re nos auxisse; jam jam impropriētatē & translationē aliquam vocabuli: autor, important, & ita, per ejusmodi rationes denominationis, à nativâ ejusdem significatiōne deflectitur atque abluditur; nimirum ab eâ, vi cujus autor est: qui non demum rem introductam auget, sed à quo ea primitus dependet & introducitur; uno verbo: autor augens, seu: autor ab auctu denominatus, non est proprie sic dictus autor, scilicet primus, quatenus talis. 2.) Eadem nos convincere nequeunt: quòd illud allegati Dionis vocabulum: ἀυκλωεστας, sit græcum, & ideo nomen: autor, veriùs à modo expressa voce: ἀυκλωεστας, quam à Græco: αὐτός, deflectatur seu deducatur. Imo: quòd vox: ἀυκλωεστας, græcum non sit vocabulum, ipsa Dionis verba adducta innuunt, dum in iisdem confitetur: quòd terminus: auctoritas, ejusque vis, unâ voce, græcè exprimi non possit; hinc eidem: barbarè loqui, seu, inter græca, Latinismo, scilicet vocabulo: ἀυκλωεστας, uti lubuit. 3.) Illa ipsa non evincunt: vocabulum: factor, quòd autorem significare in præcedenti §o. 7. diximus, in usu non esse. Vid. enim Dentzler. *Clav. lingv. latin. sub voce: Factor*, ibi: *Factor sceleris*; Ulpian.

§. X. *Etymologiæ causâ*, quæ hætenus dicta, docta, adducta allegatave sunt, multa quidem secum jam jam ferunt & includunt, ad *Homonymiam*, seu variam

B

VOCA-

vocabuli: *autor*, acceptionem spectantia; hæc tamen, cum incidenter & occasionaliter saltim tradita fuerint, nunc ex instituto diversam vocis ejusdem significationem evolvemus.

§. XI. Nimirum: *autor*, juxta retro jam dicta, sumitur vel *proprie* vel *improprie*. *Proprie* pro eo; qui *ipse* aliquid fecit, formavit, fabricavit, creavit, condidit, constituit, ordinavit, introduxit, patravit, scripsit, initiavit, jusfit, Dux negotii, primus rei alicujus inventor & svasor, provocans, primus decernens, v. g. S^cti, fuit, ratam, cui nemo refragari possit, potestatem habet, & germanicè dicitur: ein Urheber/ Anfänger/ Stifter. *Improprie* verò pro eo; qui rem, ab alio jam factam, formatam, & fabricatam, auget, aut factum aliquod approbat; cui, tanquam plurimum augenti, in auctionibus, res addicitur; qui alios, exemplo sui, tanquam initiantis, auget; qui nos re aliquâ auxit; à quo aliquid comparavimus, quæxivimus, accepimus, emimus: quem indicamus, tanquam eum, cujus svasu, autoritateve, aliquid factum est; aut: unde rumor ortus est, seu: unde aliquid relatum accepimus. &c.

§. XII. Ita in sensu proprio dicitur quis 1.) *autor rixæ*; vid. Carpz. *Prax. crim. part. I. quest. 29. n. 42. usque 49.* 2.) *autor seditionis*; in l. 3. §. 4. *vers. item qui seditionis*, ff. *ad leg. Corn. de Sicar. l. 38. §. auctores, 2. ff. de pænis*; qui scilicet seditionem primus ciet, inducit & persvadet. Pratej. ex Brisson. 3.) *autor svasionis iniquus*, l. 20. C. *de furt.* 4.) *autor liberalitatis*, i. e. donatarius, qui donationis causa fuit, seu ad eam movit; l. 3. C. *de donat. que sub mod.* 5.) *autor juris*, pro
Scripto-

Scriptore acceptus. Prudentes quippe, seu Juris Civilis Præceptores, & Juris Consulti, quibus permissum erat, ut ait Imperator, jura condere, vocantur juris Auctores. l. 4. §. 14. ff. de doli except. ibique Gothofredus lit. l. 2. §. post originem, 13. ff. de Orig. Jur. l. 1. §. 3. ff. de usufr. accresc. l. 13. C. de Usufr. & Habit. l. 15. C. eod. ubi Imperator Justinianus Salvium Julianum summum auctorem juris scientiæ appellat. l. 39. ff. de act. emt. l. 32. princ. ff. de usur. & fruct. l. 1. C. de Verb. signif. l. 3 in fin. C. de repud. Sic Ulpianus, ex divorum fratrum Rescripto, in l. 17. ff. de jure Patron. ait: & Proculum sanè non levem juris auctorem in hâc opinione fuisse. Et paulo post: Plurimum etiam juris auctorum. Marcianus ex Rescripto Divi Pii, in d. l. 32. ff. de Usur. & fruct. An mora facta intelligatur, neque Constitutione ullâ, neque juris Auctorum questione decidi posse. Confer. Calvin. l. c. ex Hotom. Cicero lib. I. de Orat. ait: Atque illum, cum differendo par esse non posset, ad Auctores confugisse, & id, quod ipse diceret, & in P. Mutii, fratris sui, libris, & in Sext. Ælii Commentariis scriptum protulisse. Gellius l. 2. c. 10. ait: Servius Sulpitius Juris Civilis Auctor. vid. Calv. d. l. ex Briffon. 6.) Autor rerum. Nimirum auctorem rerum Tacitus historiæ scriptorem vocavit, dum ita scribit: Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurnâ actorum scripturâ reperio, ullo insigni officio functam. At Salustio auctor rerum est rerum administrator, gestorque, ut Imperator, qui bella gerit: dum ita scribit: Tametsi hæudquaquam par gloria sequatur scriptorem & auctorem rerum. Nam Imperatorum majorem esse gloriam intelligit, quàm historiæ scriptorum. Annotavit id Tur-

neb. *Lib. advers. cap. 26. 7*) Autor possessionis, cujus scilicet jussu quis possessionem obtinuit, quo sensu accipitur auctor apud Paulum, *in l. justè, 11. ff. de acquir. possess.* ibi: *juste possidet, qui, auctore Praetore, possidet*; i. e. ut Accurf. interpretatur, decreto rite interposito. Spieg. & Pratej. *conf. l. 137. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Qui, auctore Judice, comparavit, bonæ fidei possessor est.*

§. 13. In sensu autem *improprio* auctores dicuntur:
 1.) Tutores, dum fiunt suorum pupillorum autores, id est, dum id probant, quod ab illis agitur; *l. etiam, fin. 3. & l. 4. ff. de auct. tut. l. 5. ff. de Reg. Jur.* Hinc autor in rem suam; §. *si inter, Instit. de auct. tut.* 2.) Auctores mulierum; Autores enim etiam dicebantur illi, qui mulieribus, propter sexus infirmitatem, dabantur, sine quibus, nec ullam quidem rem privatam agere poterant, ut ait Liv. *Lib. 40.* 3.) Auctor Legis. Talis dicebatur, qui (cum ea dignitate præditus esset, ut ejus oratione commoveri populus posset) ab iis, qui leges ferebant, deligebatur, qui eas suaderet. Ita Pompejus ejus legis, quam tulit Lentulus, de Cicerone revocando, frequenter à Cicerone: Auctor, appellatur, in eâ, quam post reditum habuit, oratione. Pratej. ex Hotomann. 4.) Auctores, qui fuere: Senatui aliquid censendi. Tales nimirum dicebantur Imperatores, in quorum sententiam, quam, oratione in Senatu habitâ & recitatâ, expresserant, aliquid decernebatur. Sic Antoninus, oratione in Senatu habitâ, auctor fuisse Senatui censendi, *in l. 32. pr. ff. de donat. inter vir. & uxor.* dicitur. Brisson.
 5.) Au-

5.) Autor injuriæ publicæ, qui vindicat injuriam publicam. Spiegel. 6.) auctores, à quibus jus aliquod in nos transiit; *l. an vitium, s. pr. ff. de divers. temp. præscription. l. 29. §. 1. ff. de statu lib. l. 156. §. 3. ff. de divers. Reg. Jur. ab augendo: quod nos re auxerint, ita dicti; ut: venditor: l. 1. §. 3. C. de peric rei vend. seu: à quibus aliquid, quovis modo legitimo, & civili, possidemus. Spiegel. 7.) Autor, in quem, veluti testem, provocamus. Autorem enim & testem producere dicimus, cum eum, cujus suasu, autoritate, aliquid factum est, aut, unde rumor est, indicamus. Vid. Rhenanum in ludum Senecæ. Spieg.*

§. XIV. Binæ postremæ (scil. penultima sub n. 6. & ultima sub n. 7.) acceptiones, tantum sunt hujus loci, seu: huc spectantes. In præsentî nimirum Dissertatione Autor sumitur pro eo, à quô aliquid in nos translatum est.

§. XV. Et, in hoc significatu, Autoris *Synonyma* sunt: Transferens, tradens, transmittens, communicans, antecessor in possessione, & certo respectu, referens, enarrans. Interim tam illi autori, à quo aliquid accepimus *traditum*, quàm ei, à quo quid accepimus *relatum*, tanquam Synonymum adæquatum, & utriusque vim exhauriens, respondet illud Germanorum vocabulum: *Wehrmann*; denotans scilicet eum, in quem, tanquam defensorem, & assistentem (der sich vor und mit uns wehren soll) provocamus, prout, ex sequentibus, latius patebit. Et ideò præsentem Dissertationem etiam inscripsimus: *De Autore, quatenus designat personam, à quâ aliquid accepimus: vom Wehrmanne.*

§. XVI. Quâ de causâ nec aliter *definimus* Autorem, quàm : per ejusmodi personam, à quâ aliquid habemus, seu accepimus.

§. XVII. Eundem verò *dividimus* in talem, à quò aliquid accepimus vel *traditum*, vel *relatum*, seu *narratum*. Illum, à quò aliquid accepimus *traditum*, subdividimus in Autorem *Principalem*, seu: *primum*, quem scilicet principaliter, & *Accessorium*, quem accessorie obligatum habemus, seu : Autorem *secundum*, videlicet Fidejussorem. *Principalis*, seu *primus* Autor iterum subdividitur in talem, qui, ad evictionem præstandam, obligatus est vel *ex speciali* ejusdem *stipulatione*, vel *ex naturâ negotiorum*, horumque tum *onerosorum*, tum *lucrativorum*.

§. XVIII. De quibus singulis membris *Divisionis* & *subdivisionum*, jam fusiùs agemus, atque ita primò tractandum venit de iis Autoribus, à quibus aliquid accepimus *traditum*, deinde autem de iis, à quibus quid accepimus *relatum*. Et, cum illi autores, à quibus aliquid habemus *traditum*, uti dictum, sint vel *Principales*, vel *Accessorii*; hinc initiò considerandi sunt *Principales*, & postea *accessorii* Autores.

Thesis II.

De Autoribus *Principalibus*, à quibus aliquid accepimus *traditum*, obvenit quæstio in causis tum *civilibus*, tum *criminalibus*. In *civilibus* causis autor primus ad præstan-

standam evictionem obligatus est aut ex speciali seu expressâ stipulatione, aut ex naturâ negotiorum; horumque tum onerosorum, tum lucrativorum.

§. I. Per specialem & expressam evictionis (der Entwehrshafft) stipulationem, Autor (Wehrmann) fit: promittens, l. 31. ff. de Evict. & tum, in stipulatione voluntariâ, quæ ubique adhiberi potest, Autor ad evictionis præstationem (zur Gewehrshafft) tenetur, etiam in quadruplum, si, in stipulationem, hoc deductum fuerit; l. 56. pr. ff. eod. In stipulatione vero necessariâ, quæ ex juris necessitate præstatur, evictionem præstat Autor in duplum, quod promittere tenetur, scilicet in venditione rerum pretiosarum; l. 37. §. 1. ff. eod. l. 31. §. 20. ff. de Ædilit. Edict. Quæ vero sint tales, iudex cognoscit. l. 1. §. 2. ff. de jur. delib. Et exigitur ab autore implementum suæ promissionis, actione emti; l. 31. §. 20. ff. de Ædil. Edict. Fitque aliquis autor, in speciali evictionis stipulatione, regulariter, per nudam promissionem, absque fidejussione; l. 37. pr. & l. 56. pr. ff. de Eviction. i. e. ut ipse, de præstandâ evictione, præcisè per fidejussores (Gewehrsh. Bürgen) tanquam autores secundos, cavere non teneatur. Carpz. Part. 2. Constit. 34. Def. 30.

§. II. Tacitè verò, seu: absque promissione, ex naturâ negotiorum, & quidem onerosorum, horumque regulariter omnium, ad præstandam evictionem obligantur Autores, seu ii, à quibus rem habemus; Carpz.

P. 2.

P. 2. Const. 34. def. 28. per l. 4. 6. & 29. C. de Evict. l. 9. ff. locat.

§. III. Speciatim verò, ad evictionis præstationem, obligatus *Autor*, est I.) in emtione venditione, venditor, *l. 60. ff. de Eviction. l. 6. C. cod. l. 11. §. 2 ff. de act. emt.* licet ipsemet rem velit evincere, *l. 17. 18. 19. ff. de Eviction.* id est: licet ipse venditor rem à se venditam vindicet; Quem enim de evictione tenet actio, eundem agentem multo magis repellit exceptio. *l. 73. in fin. ff. cod. l. 72. ff. de R. V. l. 1. ff. de except. rei vend. & trad. &c.* aut licet emtor sibi ipsi rem evicerit. *l. 9. l. 41. §. 1. ff. de Evict.* quod contingit: si, venditâ re alienâ, emtor verò Domino successerit; tunc nimirum emtor, qui antea nescivit: rem esse alienam, Domino succedens, agit ex emto, contra venditorem rei alienæ, ob tacitam evictionem. vid. *Go-rhofr. ad d. l. 9. lit. n.* Nec valet pactum in contrarium, i. e. de non præstandâ evictione, ad eum scilicet effectum non valet: ut venditor etiam à refusione pretii liberetur. Hòc ipso enim pacto venditor nondum liberatur à refusione pretii, sed illud tantummodò hoc operatur: ne ille emtori teneatur ad omne interesse. conf. *Stryk. C. C. Sect. 2. c. 8. §. 47.* Imò: Venditor *sciens* rem esse alienam, non obstante tali pacto contrario, ad omnem utilitatem præstandam tenetur, *l. 11. §. fin. in fine, ff. de A. E. V. ignorans* verò bona fide pretium restituit *d. l. 11 §. f. ff. de A. E. V. Carpz. P. 2. Const. 34. def. 22.*

§. IV. In eâdem tamen Emtione Venditione *Au-tor*, scilicet *Venditor*, evictionem præstare non tenetur,

netur; a) si venditio facta fuerit in aleâ, lusus gratia, l. 2. §. 1. ff. *Quarum rerum Actio non datur*; e. g. si quis, ludo perditâ pecuniâ, annulos, aliasque res, ludo exponat, eodémque illas pariter perdat, aut tales in aleâ vendat, quò ulterius ludere possit; tunc, si hæc evincantur victori (dem der im Spiel gewonnen hat) cessat regressus adversus Autorem; atque hic, juxta cit. l. se defendere potest exceptione: quòd in aleâ gestum sit. vid. Gothofred. *ibid. lit. d.* Ex contractu enim illicito non potest nasci obligatio ad interesse. b) Si venditio facta fuerit contra legis prohibitionem; l. 5. C. de LL. Frantzk. *ad ff. Tit. de Evict. n. 240.* v. g. si facta fuerit à pupillo, absque tutoris autoritate; Talis enim contractus ipso jure nullus est, & hinc nec obligationem, ad præstandam evictionem, producere poterit; Vel c) Emtor sciverit: rem esse alienam; nam tùm fuit ipsemet in mala fide. l. 27. C. de Eviction. l. 7. C. Comm. utr. jud. Cz. P. 2. C. 34. def. 35. Frantzk. *ad ff. Tit. de Eviction. n. 267.* Et sic, in pari turpitudine, melior est ratio possidentis, ita, ut, hòc casu, Autor nequidem ad pretium restituendum teneatur.

§. V. II.) In Datione in solutum, Autor, ad præstandam evictionem devinctus, est debitor, seu dans; l. 4. C. de Eviction. l. 24. pr. ff. de pign. act. contra quem, id propter, agit creditor aut utili actione ex emto, dd. LL. aut ex pristina obligatione; l. 46. pr. ff. de solut. l. 8. C. de Sent. & interlocut. Struv. *Exerc. 27. th. 16.* Id quod tamen intelligendum est de casu, ubi Species pro specie in solutum data, tunc enim, si res evicta, non præsumitur alter illam speciem in solutum dedisse, & hinc

C pristi.

pristina actio manet salva. vid. Stryk. *Dissert. de Beneficio dandi in solutum*, c. 5. n. 17. seqq. & quidem tantò magis, quantò minus ita venditio, sed permutatio adest. In permutationibus verò res cum effectu transferri debet, i. e. cum dominio; quia aliàs nihil censetur datum.

§. VI. Et, ex hâc ratione, etiam III.) in permutatione, Autor, modo sæpe memorato, obligatus, est, ex permutantibus, ille, qui rem, evictioni obnoxiam, in alterum transtulit; l. 1. §. 1. ff. de rer. permut. l. 1. §. 2. C. eod. l. 29. C. de Eviction. Frantzk. ad ff. Tit. de evict. n. 348. Permutatâ nimirum re evictâ, datur actio in factum præscriptis verbis, ad evictionem præstandam. d. l. 1. §. 1. ff. de rer. permut. ibique Gothofr. lit. c. quia permutatio emtioni vicina est, l. 2. ff. de rerum permut. & vicem emtionis obtinet. d. l. 2. C. de rer. permut.

§. VII. IV.) In hereditatis divisione *Autores* sunt *coheredes*, qui suum coheredem, ratione rei per divisionem in eum translata, & à Tertio evictæ, indemnem servare debent; l. 66. §. fin. ff. de Eviction. Id quod tamen tantummodo procedit, si divisio facta fuerit à Judice, vel partibus, rei qualitatem nescientibus, vel ab ipso Testatore, absque animo prælegandi; l. 7. *Comm. utr. jud.* l. 66. §. fin. ff. de Eviction. Non verò, si testator dividerit ex singulari affectione: tùm enim evictio locum non habet. l. 77. §. 8. ff. de legat. 2. Interim, hâc in parte, tota res dependet ex præsumptâ voluntate testatoris; Sicuti enim hic unum heredem præ altero gravare potuit, ita quoque, ratione evictionis

nis

nis, alterum sublevare potest; modò non concurrat læsio in legitima; *l. 32. C. de inoff. Test.* In dubio itaque, si de voluntate contrariâ non constet, præstanda est evictio.

§. VIII. V.) In rei singularis divisione, *Autor*, evictionis præstationem debens, est *socius*, qui partem suam in communi re singulari, v. g. duobus legatâ, ipsâ competentem, in socium suum transtulit, seu alienavit, *l. 10. §. fin. ff. comm. divid. vid. l. 34. §. 1. ff. de evict.*

§. IX. VI.) In locatione Conductione *Autor*, ad evictionem præstandam adstrictus, est *Locator* rei, quando scilicet, locatione durante, res locata evincitur, qui propterea *actione locati* conveniri potest. *l. 9. pr. ff. Locat. Cond.*

§. X. VII.) In Emphyteusi, *Autor*, qui indemnem præstare debet Emphyteutam, est *Dominus Emphyteutæ*, si res in Emphyteusin data evicta fuerit, & datur, ob id, adversus Dominum, actio emphyteutica ex contractu. arg. §. 3. *Inst. de locat.* & *l. 2. C. de Jur. Emphyt.* *Surd. Decis. 290.* Et hoc obtinet etiam, ubi ab initio nihil, ab Emphyteutâ, pretii nomine, Domino solutum est, quia ideò non censenda est donatio, nisi forte ob causam, scilicet propter annuam solutionem canonis. *Frantzk. ad ff. tit. de Eviction. n. 412.*

§. XI. IIX.) In transactione, ubi aliquid datum, *Autor* est ille, qui aliquid dedit, de quo imminet evictio. Nam non censetur datum, quod non durat datum *l. 33. C. de Transact. Carpz. Tit. 4. art. 3. n. 13.*

§. XII. Huc usque sermo fuit de iis *Autoribus*, qui, ex natura negotiorum *onerosorum*, ad præstandam

evictionem obstricti sunt; jam dispiciendi veniunt ii, qui ad talismodi præstationem obligati sunt ex natura negotiorum *lucrativorum*.

§. XIII. Nimirum: a) in Donatione remuneratoriâ, Autor, qui ad evictionem tenetur, est Donator, arg. *l. 34. §. 1. l. 27. ff. de Donat. Carpz. P. 2. Const. 34. def. 24.* b) In donatione, quæ fit ob futuram causam, pariter Autor, evictionis præstationem debens, est Donator. arg. *l. 1. C. de Donat. quæ submod..* c) In casu legatæ speciei, si heres individuum præstet, quod postmodum evincitur, Autor, ad evictionis præstationem devinctus, est heres. *l. 58. ff. de Eviction. l. 45. §. 1. ff. de Legat. 1. l. 29. §. p. ff. de Legat. 3. & capitur hîc species: logicè, ita, ut subintelligatur genus juridicum. Quodsi enim certum individuum fit legatum, & hoc evictum, cessat actio.* d) In casu legati individui, quod scivit Testator obligatum esse, Autor dicto modo obligatus, est heres; qui scilicet, tali casu, evictionem eatenus, seu in tantum, præstat, ut rem legatam luat à Creditore *l. 57. ff. de legat. 1. Frantzk. ad ff. tit. de Evict. n. 492.*

§. XIV. Prædicti ergo autores venire debent, remque defendere (dessen Wehrmann werden) *l. 8. 20. 21. 22. 23. 29. C. de Eviction. l. 53. §. 1. ff. eod. Carpz. 1. C. 3. def. 28. & P. 2. Const. 34. def. 40.*

§. XV. Et hæc sufficiant tradita de Autoribus principalibus, à quibus aliquid accepimus traditum, quatenus scilicet de iis, in causis civilibus, obvenit quæstio. Jam contemlabimur eosdem autores principales

les

les, à quibus aliquid *traditum* accepimus, quatenus de iis, in causis *criminalibus*, quæstio movetur.

§. XVI. Videlicet, in *Furtis & Latrocinis*, haud leve indicium facit ad torturam habendam, si res *raptæ aut furto ablata*, penes accusatum vel inquisitum reperitur, qui tamen *autorem* suum nominare, seu: titulum possessionis legitimum, vel dominii acquisiti modum, probare nequeat; vel: si is rem furtivam aut raptam, planè absque titulo legitimo habuerit, ac alii venderit, aliòve modo alienaverit: Quem propterea sub tormentis interrogandum esse, de rapina aut furto commisso, statuit Imper. Carol. V. in art. 43. Ord. Crim. in Pr. So der Diebstahl bey dem Verdachten gefunden / oder erfahren wird: daß er den gar / oder zum Theil / gehabt / verkaufft / vergeben oder anworden habe / und seinen Verkaufser und Wehrmann nicht anzeigen wollte / so hat derselbe eine redliche Anzeigung der Missethat wieder sich / dieweil er nicht ausführet: daß er solche Güter / ungefährlicher / unsträflicher Weise / mit einem guten Glauben an sich gebracht habe. Idemque, in Crimine Rapinæ, disponit, in art. 38. Ordin. Crim. So erfunden würde: daß jemand die Güther / so geraubet sind / bey ihme / oder dieselbe / verkauffet / vergeben / oder in andere Gestalt damit / verdächtiger Weise / gehandelt / und seinen Verkaufser und Wehrmann nicht anzeigen wollte / der hat eine redliche Anzeigung / solches Raubes halber / wieder sich / dieweil er nicht ausfündig machet: daß er nicht gewußt: daß solche Güther geraubet seyen / sondern die mit einem guten Glauben an sich bracht habe.

§. XVII. Hinc disputant Doctores: *An is, penes quem res furtiva aut raptæ invenitur, cogatur exhibere*

bere venditorem, seu denominare suum autorem?
 Id quod negat Roland. à Vall. *Vol. 1. Conf. 4. n. 4.*
 Quamvis verò, regulariter hoc procedere, concedamus; limitandum tamen id erit, in casu rei, per furtum aut Rapinam ablatae, & penes alium repertae, qui autorem suum, & ita titulum Dominii & possessionis suae indicare omninò tenetur, ob verba manifesta *d. art. 38. & art. 43.* (Und seinen Verkäufer und Wehrmann nicht anzeigen wollte) Quin & Roland. à Vall. *d. l.* assertionem hanc: quod scilicet nemo cogatur exhibere aut denominare *autorem*, sive venditorem suum, ad eum restringit, contra quem nulla fraudis suspicio est. At! quis inficias ire potest: suspicione aliquâ laborare illum, qui rem furtivam aut raptam detinet? Ad quam suspicionem purgandam, ut autorem indicet, omninò compelli debet, nisi torturae subijci velit; arg. *l. 3. in fin. l. congruit, 13. in pr. ff. de Off. Præs. Jo. Zang. in Tract. de Quæst. & Tort. c. 2. n. 176.* Joseph. Mascard. *de Probat. Vol. 2. concl. 833. n. 10.* Atque hoc ipsum indicium satis aliquem suspectum reddere, patet quoque ex *l. 2. & l. 5. C. de furt.* ubi dicitur: quòd in criminis suspicionem incidat, apud quem res furtiva reperitur. Cui haud parùm etiam suffragatur Imper. Justin. *in §. conceptum furtum, vers. cum enim. Instit. de oblig. quæ ex delict. nasc.* quando scribit: furti nec manifesti obnoxium esse illum, qui rem furtivam suscepit; Jul. Clar. *in Pract. §. ult. qu. 21. n. 4.* Anton. Fab. *in C. Tit. de quæst. defm. 4.* Et, juxta hæc, à Scabinatibus ferè quotidie tortura dictari solet ei, penes quem res furtiva aut rapta reperitur, si ille *auto-*
rem

rem suam indicare, & per hoc, titulum possessionis, docere nequeat.

§. XVIII. Cessat tamen etiam, & locum non invenit (in ejusmodi casu, ubi is autorem suum non potest exhibere, apud quem raptæ, aut furtivæ, res deprehenduntur) condemnatio ad Torturam: I.) si is, penes quem res furtiva aut rapta invenitur, sit homo *integræ ac bonæ famæ*, qui, ex solâ deprehensione rei furtivæ aut raptæ, haudquaquam præsumi debet fur aut latro, ad hoc, ut quæstioni subjiciendus sit; *arg. l. non omnes, §. 6. ff. de re militari, Hipp. de Mars. in Pract. Crim. §. diligenter. n. 69. Jacob. Menoch. de præf. L. 1. quest. 89. n. 141. & L. 5. præf. 29. n. 6. Jul. Clar. d. q. 21. n. 41. vers. Hæc tamen conclusio. Malcard. de probat. Concl. 833. num. 5. & 9.* Sæpe enim contingere potest, ut quis, *ignorans*, rem apud se habeat furtivam, aut quæ censetur furtiva; cùm tamen furtivus non sit, nisi qui rei furtivæ *scientiam* habet; *l. 12. l. eos, qui, 14. C. de Furt.* Sic & fieri potest, ut quis bonâ fide, à fure, vel quo alio, rem furtivam *emerit*, aut quo alio titulo acceperit; *§. furtivæ quoque res. Instit. de Usucap.* Quare adversus hominem bonæ famæ, ex hõc solo indicio, ad torturam haud properandum erit. II.) Quando res furtiva aut rapta in alicujus quidem ædibus, sed non in detentione ac possessione ipsius, reperitur. Nam: licet res furtiva aut rapta in domo aliquâ inveniat; exinde tamen non statim sequitur: à Domino ipso, domûs istius, furto aut rapina sublatam fuisse; cùm fieri potuerit: ut à famulis aut ancillis fuerit subtracta; *Bald. in l. si post. numer.*

mer.

mer. 4. C. quibus ad libert. proclam. non lic. Quò & verba respiciunt Juris Saxonici in *L. 2. Land-Recht art. 35.* Die Handhaffte That ist/ daß er Dieberey oder Raub in seinen Gewehren hätte / da er selbst den Schlüssel zufrüge an seiner Seiten. Ill.) Si, in genere priori, res furtiva aut rapta, fuerit emta in foro, aut tabernâ publicâ, ubi communiter res ejusmodi vendi solent; arg. *l. 3. in pr. §. 1. & 2. ff. ad Sctum Maced.* Zanger. in *Tract. de Quæst. & tort. c. 2. n. 176. in fin.* Matth. Steph. in *not. ad art. 38. in fin. Ord. Crim. conf. Carpz. Pr. Crim. P. III. Qu. 122. n. 39. usque 48.*

Thes. III.

Consideratis jam *Autoribus* Principalibus, scilicet *primis*, tum quatenus in *Civilibus*, tum quatenus in *Criminalibus* causis, quæstio de iis occurrit; transgredimur jam ad *Autores accessorios*, nempe *Fidejussores*, qui dicuntur: *secundi autores. l. 4. ff. de Eviction.* & *βεβαιώται*, à Justiniano, in *Nov. 8. venditionis*que confirmatores, à Juliano Patritio, vid. Antonium Augustin. *Lib. 3. c. 6.*

§. I. De his, in superioribus, nempe *Theseos II. §. 1.* dictum est: quòd, in expressâ, seu *speciali evictionis stipulatione*, aliquis *regulariter* absque iisdem (scilicet *Fidejussoribus*) per nudam repromissionem autor fieri possit, i. e. ut ipse, de præstandâ evictione, præcisè per *Fidejussores* cavere non teneatur.

§. II.

§. II. Heic tamen monendum venit : quòd etiam dentur casus, quibus non sufficit, ad stipulationem alterius facta, nudè promissoria cautio de præstandâ evi- ctione, sed, in talibus, ejusmodi cautio præcisè per fi- dejussores, (Gewehrs-Bürgen) fieri debeat. Videlicet: 1.) Si statim, in limine contractus, antequam solutio facta, immineat evictio; *l. 24. C. de Eviction. i. e. si, pretio ab emtore nondum soluto, lite judicialiter ei motâ, evictio immineat; Potest enim pretium tam diu retineri, usque dum satisfidetur, vid. Carpz. P. 2. Const. 34. def. 31. Aut 2.) si res aliqua, pro pecuniâ, in so- lutum detur. Brunnem. ad l. 37. ff. de Eviction. Quod intelligendum de necessaria in solutum datione & acceptione, de qua in *Nov. 4. cap. 3. jung. Auth. hoc nisi debitor, C. de solut. ubi Creditor, invitus, aliud pro alio, in solutionem recipere cogitur, & propter- ea ipsi plena securitas debetur, vel 3.) si inter emto- rem & venditorem expresse fuerit conventum: ut venditor de evictione præstandâ præcisè per fidejús- sores caveat. *vid. l. 4. iust. ff. de Eviction. aut 4.) Si moribus alicujus loci aliud obtineat, ut scil. nuda e- victionis promissio, absque fidejussoribus, non suf- ficiat, l. 6. ff. d. t.***

Thes. IV.

Postquam huc usque, in dispiciendis iis Auto- ribus, à quibus aliquid accepimus *tradi- tum*, occupati fuerimus; restat, ut etiam

D

ali-

aliqua differamus de iis Autoribus, à quibus aliquid accepimus *relatum*.

§. I. Nimirum: In causis injuriarum, ad excludendam *præsumtionem animi injuriandi*, non sufficit: si quis injurias ab alio auditas divulgaverit; licet *autorem* demonstrare, seu eum indicare, possit, à quo ipse primùm injurias accepit *relatas*; Quia propalans injurias ab alio auditas, non minus alterius lædit estimationem, quàm ille, qui primùm eas excogitavit, & alii postea dixit; *arg. l. un. C. de Famos. libell.*


§. II. Quò pertinet vulgatum illud, seu, illa Saxonum Regula: *Wehrmann haben/ hilfft nicht*; quæ etiam ad eum casum extendi potest: Quando autor ille dixit: *Ihr könnt es/ auf mein Wort/ nachsagen*. Quandoquidem in re turpi nec mandatum excusat vid. Stryk. *ad Lauterbach. Tit. de injur. & famos. libell. p. m. 995. notâ: autoris demonstratio. vid. Cz. Pr. Crim. P. 2. Quæst. 96. n. 67. usque 72. Id. 2. Resp. 62. n. 4. 7. & 8.*

§. III. Et quamvis fama ac rumor, atque per consequens *auditus*, excusent à dolo, per Bartol. in *L. cum quidam, 30. §. quod dicitur, 3. ff. de acquir. vel omitt. hered.* & in *L. 1. ff. ad Scutum Turpill.* Anton. Faber in *Cod. Lib. 9. tit. 20. def. 5. n. 3.* Id enim eousque tantum procedit, nisi aliis, iisque fortioribus, & validioribus indiciis, seu conjecturis, dolus probari possit; Jo. Harprecht. *Comm. Inst. ad §. injuria autem, n. 134.* Ut taceamus: hõc casu, in re illicitâ versante reo, dolum præsumi, animumque injuriandi, donec contrarium pro-

probetur, per *L. Si non convitii, §. C. de Injur.* Conf. Carpz. *Prax. Crim. P. 2. Quest. 97. n. 1. seqq. & Part. 4. const. 42. def. 3.* Consultum ergò foret, ut reus, si auditam injuriam alteri bonâ intentione referat, se non injuriandi animo id facere, addat; quod Consilium suggerit Matth. Coler. *Part. 1. decis. 161. n. 42.*

§. IV. Aliud ergò est, seu secus se res habet, atque in contrarium dici potest: Wehrmann haben hilfft; si quis vel cum protestatione: *de altero non injuriando*, vel saltim *relative*, atque cum detestatione, & simul *dubitanter*, addendo scilicet: *se talia non credere*, quædam audita referat. Secundùm quod ab Amplissima Facult. Francof. *d. 22. Martij, anno 1670.* responsum esse, testatur Stryk. *Tract. de Jure Sens. diss. 3. Cap. 3. n. fin.* his præjudicii verbis: Weilen Angeklagter diese Worte nicht vor eine Wahrheit gegen W. geredet / sondern ihm nur erzehlet / daß er von B. E. solches gehöret hätte; und ob zwar in denen Rechten nicht entschuldiget: daß man die ausgestossene Injurias von einem andern gehöret / nach der gemeinen Regul: Wehrmann hilfft nicht; So sind dennoch die Circumstantiæ billig zu attendiren / auf was Arth solche gehörete Injurien weiter erzehlet worden; ob solches einem oder andern / in Vertrauen / hinwieder *relative* gesaget / oder an vielen Orten ausgebreitet: denn in diesem Fall / sonder Zweifel / die *actio injuriarum* statt findet / weil solche Propalatio an sich Ehrenrührig und also straffbahr ist / nicht aber im vorigen Fall. *ic.*

T A N T U M!



3 -